

NOTGERVS EPISCOP. LODIENSIS.



**N**otgerus ille à priore alter bonarum artium & literarum desiderio S. Galli monasterium eius temporis scholam celeberrimam intravit, atque adeò sua diligentia profecit, ut in sacris literis eruditus, & in humanioribus studijs omnium sui temporis doctissimus euaserit. Fuit enim Philosophus, Poeta, & Musicus insignis, nec minus sanctitate quam scientia uenerabilis. Scripsit is insigne uolumen Sequentiarum ad Luthardum Episcopum Vercellensem, & Archicapellanum Caroli Cæsaris, quod Nicolaus Papa eius nominis primus approbavit, & in diuinis officijs decantari præcepit. Cum hac ratione literis & uirtutibus incumbet, in eius loci Abbatem electus est. Verùm nec sic delitescere potuit, qui uacante sede Lodiensi decimus eius loci Episcopus, iam senex, omnium consensu creatus fuerit. Itaq; uocationi suæ obtemperans, optimè Episcopatui præfuit, atq; tandem non sine opinione sanctitatis uitam cum morte cōmutauit, Anno 950. Trit. Ioan. Stumpff.